

PITYUSA.

PITYUSA.

CAP. CLX.

Pityusam specie à cyparissia differre constat, etsi tithymalorum generi assignetur. Caulis supra cubiti altitudinem assurgit, geniculatus: foliis apice acutis, exilibus: flore parvo, velut purpureo: semine instar lenticulæ lato: radice crassa, candida, succo referta: quibusdam in locis frutex hic prægrandis invenitur. Detrahit per alvum radix drachmis duabus data in aqua mulsa: item seminis drachma: succi cum farina subacti cochlearium in catapotio datur: modus foliorum drachmæ tres.

## PITYUSA.



Pityusa, ut latius precedenti capite retulimus, ea nimirum fuerit planta, quam officina Esulam majorem nominant. Hujus radices herbarij, qui quotannis è Gargano Apuliae monte succos, & alias radices ad nos comportant, magna impostura pro Turpeto venditant, quem admodum & Thapsia radices pro eodem subiciunt, ut superius in tripoli mentione diximus. Quod cum sua etate non ignorasset Actuarius, album turpetum Altyia esse radicem prodidit, nigrum verò Pityusa. Nec his obstat, quod dixerit Dioscorides, Pityusa radicem subesse candidam: nam is de interiore substantia tantum intellexit, non autem de exteriori corticis membranula, quæ viridis rufescit, siccata nigrescit. Porro quod Esula major sit Mauritania alsebram, vel sebram, satis liquidò ex Serapione colligi potest, utpote qui integrum de Pityusa caput ex Dioscoride sumpsit, & in suum Scebram reposuit. Quo fit, ut planè falli putem Brasavolum, quippe qui certò sibi persuadeat, Alsebram majus Mauritania esse tithymalum platyphyllon. Nicolaus Myrepsicus quibusdam in antidotis, & catapotis alvum solventibus Esulam imponit cognomine chamapityn. Unde Fuchsius in suis doctissimis adnotationibus, nil aliud esulam Nicolao referre scribit, quam Chamapityn, non autem tithymali speciem. Quæ in re Fuchsii opinio (pace ejus dixerim) mihi non planè satisfacit. Nam cum plura sint tithymalorum genera, quæ in universum Esula nomine appellantur, de ea tantum intellexisse Nicolaum existimo, quam Dioscorides à foliorum forma Pityusam vocat, eo quod pini, vel piceæ arboris folio constet: quæ ob id esula chamapityns differentia causa Nicolao appellata est. Parvam enim pinum pityusa repræsentat: quare non ab re esula quoque chamapityns cognominari potuit. Pityusa in Italia passim sere provenit, facie minoris esula, sed longè in omnibus major, adeo ut quibusdam in regionibus, ut in Apulia, arbusci speciem referat. Visitur copiosa in

Veronensi agro, ea immensa planitie, per quam ad Benacum transitur. Sed quod aridissimum ibi sit solum, non admodum adolescit. Hac (ut Mesues est author) agrestium hominum medicamentum est: multa enim sumentibus adfert incommoda, proinde ejus usus apud medicos peritos prorsus exolevit, quem admodum & turpeti ex hujusce radicibus parati, postquam detecta est impostorum fraus: etsi non desunt improbi pharmacopole, qui Pityusæ radices legitimi Turpeti vice suis inserant medicamentis: sintque etiam circumforanei, qui harum radicum pulvere plures jugulent rusticos, quam sanent. Adscribunt quidam Pitynam tithymalorum generibus, quoniam & ipsa similiter lacteo succo madaat, purgetque eorum modo. Id quod Galenus aperte testatur lib. 8. simpl. med. dum sic inquit. Pityusa, & hanc quidam speciem putant esse tithymali, quod succum habeat ut illi, quodque similiter illi purget, ceteraque omnia viribus illis est adsimilis. Ea Græcè Pityusæ ma. ex Gal. Latine item Pityusa vocatur: Arabicè, Scebram, & Pithas: Officinis, Esula major: Italis, Pityusa, & Esula maggiore. Gallis, Turbit noir.

Pityusa, Matthiolo, Lac. Castor. Lugd. (cui & Esula major) Lonicero, cui & Turbith nigrum.

LATHYRIS.

LATHYRIS.

CAP. CLXI.

Lathyrus, quam aliqui tithymalum appellant, eamque tithymalorum numero adscribunt: caulem Lemittit cubiti altitudine, & digitali crassitudine, inanem: gignuntur in cacumine aleæ, & folia in caule oblonga, amygdalinis proxima, latiora, & læviora: quæ autem in summis ramulis exierunt, minora conspiciuntur, aristolochiæ, aut oblongæ hederæ figura. In cacumine fructum summis furculis gerit, triplici loculamento insignem, rotundum, ceu capparin, in quo grana, intercurrentibus membranis, inter se distincta continentur, eruis majora, rotunda: quæ dum corticibus exuuntur, candida sunt, & gustu dulcia. Nullus radicis usus: totus frutex lacteo succo turgens, uti tithymalus. Grana sex, aut septem in catapotio, aut cum ficiis, aut palmulis devorata alvum purgant: sed aqua frigida postea forbenda, trahunt autem bilem, pituitam, & aquas. Succus, tithymali modo exceptus, eundem effectum præbet. Cum gallinaceo, aut oleribus folia decoquuntur ad eodem effectus.

Lathyrin officina Cataputiam appellant. Planta est vulgaris notitia. Hac in Hetruria frequentissima nascitur passim in hortis, & secus itinera exoluta solo. Apud Insabres, quod alvum valenter evacuet, vomitionesque eliciat, cacapuzza vulgò nominatur. Isidem pollet facultatibus, quibus & ricinus: isdem quoque medicamentis infanatur. Hujus plantæ meminit Actuarius in suo lib. de compositione medicamentorum, ubi ita scribit. Lathyrus vehementer pituitam purgat. Dantur vires ex Actuario

D d d 3

grana

## LATHYRIS.

Lathyrus  
vires ex  
Gal.

Nomina.



grana ejus majora, quindecim: minora verò viginti. is, qui efficacius purgari cupiunt, mandenda præcipito: is verò qui dejectionem non desiderant copiosam, jubendum est, ut integra devorent, præsertim si qui sumit malo fuerit stomacho: hac Actuarius. Decem, duodecimve seminis grana à putaminibus delibrata, tussis, & in ovo sorbili devorata, vomitum potenter citant. Itaq, is utiliter propinantur, qui philtrea devorant, aut alia veneficia, siquidem hac efficaciter expellunt. Præstat præterea Lathyrus semen ad ea omnia, ad qua Ricini semen valere superius diximus. Lathyrus vires descriptit Galenus libro 7. simplicium medicamentorum, sic inquit: Lathyrus, sunt qui dicant & hanc esse tithymali speciem, tum quod similiter illis succum habeat, tum quod eodem illis modo purget, totaq, illis facultate similis sit, nisi quod semen gustantibus videatur dulce: quod sanè etiam maxime purgatoriam vim obtinet. Quæ planta Arabis Græcis, Lathyrus item Latinis dicitur: Officinis, Chervæ minor. Arabibus, Mendana, seu Mahendane: Italis Lathiri, & Cataputia minore: Germanis, Springkraut/ Springkörner/ und Treibkörner: Hispanis, Tartago: & Gallis, Espurge.

Lathyrus major, C. B. Lathyrus, Matth. Brunf. Trag. Fuchf. Turn. Cord. in Diosc. Dodo. gal. & fol. Lac. Anguil. Gef. hort. Lon. Castor. Lugd. Cataputia Brunf. Cæsal. Cataputia minor, Lob. Granum regium minus, Mesuæo.

πῑπλῶ. PEPLUS. CAP. CLXII.

PEplus frutex est lactei succi plenus, foliis parvis ut rutæ, paulò rarioribus: rotunda coma, ferè doctantali, humi resperfa: femine sub foliis parvo, rotundo, minore quàm candidi papaveris: pluribus scater auxiliis. Unicam radicem habet, supervacuam, ex qua fruticat: nascitur inter vires, & in hortis. Colligitur mellibus, siccat in umbra, & continuè versatur. Fructus rufus, & fervefactus reconditur. Bilis, ac pituita detrahitur acetabulo ejus in hydromelitis cyatho poto, Obsorais insperfa conturbat alvum: muria conditur.

## I. PEPLUS.



## II. PEPLIS.



πῑπλῶ.

**P**epelis, quam aliqui sylvestrem portulacam vocant, Hippocrates peplion, in maritimis maximè nascitur, latè opaco frutice, candidi succi pleno: foliis sativæ portulacæ, rotundis, infernè rubentibus: semine sub foliis rotundo, uti in peplo, fervente gustu: radice singulari, supervacua, tenui. Colligi & reponi, ac dari, uti peplos, & sale condiri solet. Eadem habet vires.

**P**eplum herbariorum vulgus, quod orbiculata conslet coma, Esulam rotundam vocat. Provenit non modò in vinetis, sed etiam in agris cultura destituta, lacteo succo prægnans. Peplida verò, quæ Peplion dicitur, in maritimis nascentem, non prius quam hoc anno evulsam vidimus. Atque vires reddidit Galenus lib. 8. simpl. medic. ubi primum de Peplo ita scribit. Peplos, quidam verò papaver spumeum, & hic frutex parvus succum habet similem tithymali, cum in aliis, tum quia purgat, tum illi. Mox de Peplio idem Galenus hæc verba subiunxit: Peplium, & hic quoque frutex exiguus succum obtinet, sicut tithymali: nasciturque, plerumque, ad mare, radicem habens inutilem, ut & peplos: succum verò validum, non tamen admodum utilem. Sed semen utile est & flatuosum, similiter semini pepi purgans. Quæ plantæ πεπλὶς Græcè, Peplus etiam Latine vocatur: Officinæ & vulgo, Esula rotunda: Italis, Pepla. Quæ verò πεπλὶς Græcè, Peplus quoque, & Peplium Latine dicitur: Italis, Peplio.

Pepli, & peplidis confid. Utriusque vires ex Gal.

**I.** Peplus Matthiolo in majoribus figuris & Compendio, Peplis, eidem in minoribus: Peplus Fuch. Dod. gal. (cui & Esula rotunda Officinarum.) & fol. (cui & vineale revelium, Ruellii) Tur. Cor. in Diosc. & hist. Anguil. Lob. Lon. Cæsal. Cast. Cam. Thal. Tab. **II.** Peplis, Matth. in majoribus figuris & Compendio, Turn. Anguil. Lob. Clus. hist. Hisp. Cast. Lugd. Cam. Tab. cui & Peplus minor, Peplium, Cæsal. Lug. quia & Hippocrati Peplion dicitur. Meminit Anguillara & alterius, quod locis montosis in Samnitibus collegit, quod nuper ex iisdem montibus accipimus.

**C**hamæsyce aliqui sycen nominant. Ramos emittit quaternum digitorum, teretes, succosos, in teram dejectos: folia lentis, parva, peplum planè referentia, tenuia, quæ à terra non attolluntur: semine sub foliis rotundo, ut in peplo: neque caulem, neque florem promittit: radice firmatur tenui, supervacanea. Rami ex vino triti vulvæ dolores sedant, in pello appositi: tollunt tumores, ac a verrucas omnium generum illiti. Decoctorum cibo alvus resolvitur. Succus simili effectu prodest. Illitus contra scorpionis ictus auxiliatur: adversus caligines oculorum utilis, & hebetudines, incipientes suffusiones, nubeculas, cicatrices, cum melle inunctus. In squalidis, petrosisque nascitur.

Meum ἀκροχρόδιον, καὶ μύκηται. i. peniles & formicarias verrucas.

## \* CHAMÆSYCE. \*

**N**ascitur Chamæsyce, quemadmodum & Peplus, in vineis, petrosisque & squalidis monticulis. Hæc, ut ex totius plantæ descriptione colligi potest, in pepi genere enumeranda videtur: quippe, quæ ramulis exeat humi perpetuo sparsis lacteo succo refertis: folioli, & coma peplo similibus. Hinc itaque, quispiam forte non aberraret, si censeret Chamæsyce esse minorem pepum: ego tamen id planè asserere non ausim. Chamæsyces vires tradidit Galenus lib. 8. simplicium medicamentorum, his verbis. Chamæsyce abstergeri simul & acrem vim possidet. Itaque, acrochorodonas, myrmecias caules ejus teneriores in modum cataplasmati admoti, & ex eis liquor auferunt. Cum melle verò crassas oculorum cicatrices detergant: sed & hebetudinem visus à crassitie natam adjuvant, sicut sanè & suffusionum principia. Χαμαίσυνη sic Græcè, ut Chamæsyce pariter Latine vocatur.

Chamæsyces vires ex Gal.

Nomina.

a Orib. addit. πέντε ἢ πέντε, i. tres, vel quatuor. b Orib. ἢ πέντε, i. vel quatuor cubitorum. c Orib. δυνάμεις i. densitates.

Chamæsyces figuram, cum Matthiolo non haberet, adposuimus: quo nomine donarunt, Gef. hort. Adver. Lobel. Dodo. fol. & Clus. hist. Hisp. Cæsalp. Camer. Taber. & Lugdunensis historia, ubi duæ appositæ figuræ.



**S**cammonia ramos ab una radice emittit a trium cubitorum, multos, pingues, & qui non nihil crassitudinis præ se ferant: foliis helxinæ, aut hederaceis, mollioribus tamen, [hirsutis,] & triangulis: flore candido, rotundo, in calathi modum cavo, graveolente: radice prælonga, crassitudine cubitali, canaliculata, gravi odore, succo graviora. Legitur ad hunc modum succus. Capite exempto, radix in testudinis speciem cultro excavatur: quo fit, ut in cavum confluat succus, qui conchis demum excipitur. Alii scrobem in terra concamerato sinu fodiunt, in quos subjectis juglandium foliis, profundunt succum, siccatumque extrahunt. Laudatur autem Scammonium leve, nitidum, rarum, & colore quàm simillimum taurino glutini, fungosum, tenuibus fistulis, quale ex Mysia regione Asiæ deportatur. Nec attendere solùm par est, si linguæ tactu albescat (hoc enim evenit adulterato, quod admisto fit tithymali lacte) sed longè magis antea narratis: item si non vehementer linguam exurat, id quod misti tithymali argumtum

tum est. Natione autem Syriacum, & Judaicum deterrima habentur, gravia, densa, erui farina, & tithymalo vitiato. Succus drachmæ unius, aut quaternum obolorum pondere haustus ex aqua pura, vel mulsa, per inferna bilem, & pituitam extrahit. Ad resolvendam alvum binos obolos cum sesama, aliove semine fumpsisse satis est. Dantur efficacioris purgationis causa, succi tres oboli, cum duobus veratri nigri, & aloes drachma una. Fiunt purgatorii sales drachmis viginti succi scammoniae in fenos salis cyathos adjectis. Horum modus proportionem virium: integer quidem, tria cochlearia: medius, duo: minimus, unum. Radicis drachma una, aut altera purgat cum iis quæ retulimus. Nonnulli decoctum radicis ebibunt. Coquitur in aceto, & cum hordeacea farina teritur, cataplasmate ischiadicis utili. Partus enecat succus, vulvæ in lana subditus: tubercula discutit cum melle, aut oleo illitus: decocto in aceto perunctæ lepræ abiguntur: diuturni capitis dolores ex aceto & rosaceo perfunduntur.

Scammonia,  
eiusque  
turi et  
confid.

## I. SCAMMONEA.



Dio. c.  
locus su-  
spectus.

Scammo-  
niæ lesio-  
nes, & vi-  
res ex  
Mesue.

annotationibus, hanc ipsam plantam Georgio Liberali pictori, qui nostras pinxit imagines, acceptam referi, quod sortasse ignoraret, a Georgio illo eam esse nostris hortis esse sublatam. Sed hæc obiter dicta sit, non quod Marino viro optimo, aut Georgio succenseamus, sed ne fortasse Zoili, ac Sycophantæ, qui nobis lacerandis inhiant, suti nos accusarent. Sed profecto mirari nobis subit, quod Galenus in libris de simplicium medicamentorum facultatibus, nihil de Scammonij virtutibus mentionem fecerit in suis aliis monumentis. Scammonium, auctore Mesue in suis simplicibus dejectoriis, quing. corporibus laisiones inferre potest. Prima est, quod status quosdam mordaces gignit, usq. adeo ventriculum lacescentes, ut sumentibus nauseam commoveat. Noxa hæc tollitur, si in excavato cydonio malo, clibano, aut pruni inasserit, pasta undiq. circumlita, præsertim additis aut fœniculi, aut dauci, aut apij semine, aut galanga. Inflammat deinde acedius exuperantia corporis spiritus: quo fit, ut facile febres excitet, iis præcipue, qui obstructionibus viscerum, & humoribus putrescentibus obnoxii sunt. Sed id nocuenti aufertur, admixtis inter coquendum, quæ refrigerant, & fervorem extinguunt: cuiusmodi est psyllij seminis spissamentum, prunorum decoctum, seu potius pulpa, rosarum & violarum succus, aut dilutum, aut aqua: quinetiam si ante coctionem maceretur oleo rosaceo, aut violaceo, aut cotoneorum misti saporis succo, aut admixto rhoë, aut scittio spodio. Ad hæc quoddam magna tum attrahendi, tum aperiendi facultate fit præditum, immoderatæ alvi fluxiones facit: vasorum enim oscula plusquam par sit aperit. Hæc læsio admittitur admixtis rebus adstringentibus, cohibentibusq. nempe mastiche, cydoniis malis, succoq. ab eis expresso, & myrobalanis, præsertim flavis. Abradit præterea acris succo, quo scatet, intestina: proinde & tormina, & dysenteriam, & tenasmodum excitat. Sed deletur hoc incommodum, additis humidis, pinguibus lentisq. medicamentis: cuiusmodi sunt, tragacantha lacryma, bdellium, amygdalinum oleum, aut rosaceum: item prunorum pulpa per se, & saccharo asservata, psyllij spissamentum, mastiche, cydonia mala post sumpta & calida aqua post bibita: utpote quæ medicamentum ocys a ventriculo, & intestinis expellant, & ita simul noxam prohibeant. Hinc est quod prudentes medici, quod celerius Scammonium a ventriculo, & intestinis deiciant, hordei jusculum, cum saccharo superbibendum præbent. Obest postremo Scammonium cordi, iecori, ac ventriculo, substantia sue torius proprietate Vitium hoc aboletur, si illi tum calida, tum frigida admisceantur medicamenta, quæ cordi, iecori, ventriculoq. opem suam præstant. Deiecit Scammonium valentissime bilem, quam & a vasis, & a sanguine exhaurit. Ejus deiectionis facultas haud sanè aliis medicamentis absimilis est, quæ purgant cum labore & molestia. Plantæ Græcis σαμμόνια, Latinis item Scammonia vocatur: Arabibus, Scammonia, sive Sachmunia: Italis, Scammonea.

I. Scammo-

\* II. SCAMMONEA MONS-  
peliaca. \*

I. Scammonia Syriaca, C. B. Scammonia, Matth. Dodo. gal. Lon. Cordo in Diosc. Anguil. Calt. Lugd. Cæsalp. Scammonium, Dod. fol. Lob. Scammonium Syriacum, Antiochenum Scammoneæ, Lob. in icon. Scammonia frutex, Gef. hort. Scammonea Antiochena, Cam. II. Scammonea Monspeliaca. Hæc radice est furculosa, fibrosa, digiti minoris crassitie, fusca, intus verò subflava: friabilis cum aliqua dulcedine acris: per cuius medium nervus flavus fertur, qui fractus minimis foraminibus plenus est: caules primo ortu erecti cubitales, postea Volubilis instar farnentosi quatuor etiam cubitorum, repunt, qui concavi, foliis cinereis orbiculatis, in mucronem desinentibus & basi falcatis pediculis reptantibus: floribus stellatis candidis, quinquefoliis, ex alarum sinu quasi umbellatim Junio & Julio prodeuntibus: semen angulosum. Tota planta lacteo succo turget, cujus succo aliqui Scammonio carentes ejus loco utuntur, sed majore dosi & minori effectu. Calida ultra tertium gradum censeatur. Hanc ante annos novemdecim Monspeli in littore inter Volcarum stagnum & mare legimus. Dicitur Scammonia Monspeliaca, Gef. hor. Cam. ad Matth. & Periploca repens. Scammonium Monspeliense, Adver. & Lob. Scammonea Valentina & Monspeliaca, Clus. hist. Hisp. Scammonea maritima Monspeliensis, Lugd. Cam. cui & Coriziosa Rhasis. Volubilis marina, Tabernæmontano.

Χαμηλαία. CHAMELÆA.  
CAP. CLXVI.

Chamelæa furculosa fruticat, ramis dodrantalibus: folia oleæ similitudinem habent, tenuiora, & amara, quæ gustata linguam mordent, & arteriam deradunt. Detrahit pituitam bilemque: foliis præfer-  
tim in catapotio devoratis: namque duræ absinthii partes, adjecta chamelææ una, a hydromelite excipiun-  
tur, & in catapotia coguntur: ea autem in ventre non liquefcunt, siquidem quotquot fuere devorata, re-  
geruntur. Foliis cum melle tritis, fordida ulcera, & crustosa repurgantur.

a Meum  
vulgar  
melle.  
aqua, aut  
melle.

## I. CHAMELÆA.



## II. THYMELÆA.



Θυμυλῆα,

**T**hymelæa est, ex qua granum Gnidium, quod est semen ipsius, colligitur. Hoc Syri apolinum vocant, quoniam sativi lini frutex suapte natura similitudinem referat. Virgas edit pulchras, multas, tenues binōm cubitorum: foliis chamelææ, angustioribus, & pinguioribus, viscosis, gummosisq; si mordeantur: flore candido: fructu myrti in modum rotundo: qui inter initia viret, & tandem rubescit: involu- crum fructus durum, foris nigrum, intus album. Hoc per inferna bilem, pituitam, aqua q; detrahit, si vi- ginti granorum pars interna bibatur: verum fauces adurit. Itaq; cum farina, aut polenta, aut in uvæ aci- no dari debet, aut melle cocto obductum devorari. Qui ægrè desudant, trito semine cum nitro, & aceto inunguntur. Folia, quæ peculiariter cneorum appellantur, per messes colligi debent, & siccata in umbra 10 recondi. Quibus dare libeat, antea tundere, & nervos eximere convenit. Illitum acetabuli modo cum diluta vini portione, aquam extrahit: mediocrius purgat, addita lente cocta, aut contritis oleribus. Thy- melææ farina uvæ acerbæ sacco excipitur, & in pastillos dividitur. Herba stomacho infesta: partus im- posita necat. Nascentur in montibus, & asperis. Hallucinantur, qui coccon Gnidium fructum esse chame- lææ existimant, decepti quadam foliorum similitudine.

**C**hamelæam, pariter & Thymelæam Arabes confusè satis, ac perplexè Mezereon appellant. Cuius etsi duo faciant ge- nera, unum album, alterum nigrum, tamen ipsi etiam Daphnoidem admiscunt, & hac omnia adeo confundunt, & im- plicant, ut hac in re nihil certi, nihilq; perpetui ac tuti ex eorum scriptis elici possit. Illarum plantarum vi in exolvendo 20 corporis humores, tam vehemens, violenta, ac furiosa existit, ut nisi robustissimis hominibus tuto in medicamentum dari possint: plerumq; enim imbecilles consecerunt, abrasis visceribus apertis, vasorum osculo. Quare non temere eas Mauri- tani & terra leones, & plantas viduas cognominarunt. Proveniunt hæ plantæ numerosa in vallis Anania montibus Tridentino agro: & utraq; (licet hoc in chamelæa præterierit Dioscorides) fructum ferunt myrti bacculi similem, quam- vū chamelæa quadantenus longior sit, & oliva formam repræsentet. Utriq; fructus initio sui exortu viret, mox per ma- turitatem rubescit, deniq; exiccatus niger conspicitur. Caterum baccam, quæ è Thymelæa decerpitur, quoniam sicca a piperis faciem præ se ferat, acrimoniamq; non obscuram gustantibus relinquit, rura Ananiensis, una etiam cum Laureo- la semine, Piper montanum indifferenter nominant. Nec sanè mirum, quandoquidem & Theophrastus lib. 9. cap. 22. de 30 plantarum historia ubi de pipere disseruisset, statim Cnidii grani meminit: utpote quod maxime piperis imaginem refe- rat, & admodum etiam acre sentiat. Sumunt hoc piper (ut eorum nomine utar) frequenter incolæ in suis purgationibus adversus omnes fere morbos, ita medicos, & pharmacopolas fallere credentes. Sed sæpe evenit, ut cum futuram noxam non prævideant (quæ eorum multorum imperitia est) non solum seipsos decipiant, sed etiam sibi mortem consciscant. Et ceteri hoc testari possum, quod ex montani illius piperis assumptione plures perierint, nisi antidotis nostris succurrissem, eorūq; in vita servassem. Ideoq; non possum non admirari Plinium, quippe qui scribat lib. 27. cap. 9. Cocconidium quod Thymelæa 30 est fructus, de quo nunc scribimus, alvum adstringere, cum adeo exoluat, ut in magnum sæpe discrimen sumentes ducat. Est enim (ut ipse inquit Plinius) adeo urentis gustus, ut vorari non possit nisi in pane. Proinde scite posteritatis memoria pro- didit Mesues, nemini Mezereon præbendum esse, nisi istis admixtis antidotis, quibus ejus deleteria facultas infrenari possit,

### III. CNEORUM THEOPHRASTI.

Pilulæ de Meze- reo.

Cneorū Theoph.

Chame- lææ vires ex Gal.

Nomina



qua omnia corporis principalia membra corrumpit, ac de- struit. Habentur tamen passim in pharmacopoliis catapota, quæ de Mezereon appellant, quibus al quando utuntur medi- ci, ad aquam inter cutem extrahendam. Verum ea non au- dent exhibere (quanquam medicamenta simul receperint, quibus eorum malitia reprimatur) nisi robustis, ac fortioribus hominibus. Sunt qui contendunt Theophr. Cneorum, quod 40 duum apud illum est generum, alterum esse Chamelæam, al- terum verò Thymelæam, id quod probare nituntur Dioscori- dis autoritate, utpote qui scribat, Thymelæa folia, quæ pecu- liariter Cneorum appellantur, per messes colligi debere. Ve- rum ab horum vitiligatorum falsa opinione, longè admo- dum distat sententia nostra, ut lib. 3. nostrarum Epistolarum ad Joannem Cratonem Uratulanensem medicum clarissi- mum scribentes disserimus. Sed (Deo Opt. max. volente) rem hanc contra horum susurronum temeritatem, in secundo ea- rundem nostrarum Epistolarum tomo, fusius, copiosius, luci- diusq; posteritatis memoria commendabimus. CNEORUM de quo meminit Theophrastus lib. 6. cap. 2. de plantarum hi- storia, nullis deficientibus notis, misit ad me Roma vir quidem nobilitate clarus Gerardus Cibo, cujus imaginem hic appingi curavimus, ut, qui chamelæam, & Thymelæam Cneorum fa- ciunt, ad mentis sanitatem redeant. Chamelæam tantum quod sciam, commemoravit Galenus in simpl. med. censu, de 60 cujus viribus lib. 8. eorundem ita scribit: Chamelæa vincentem habet qualitatem amarā. Quamobrem admodum sordida ulcera, & quæ maximas habent crustas, cum melle purgare potest. Quæ Græcis θυμαλαία, Latinis quoq; Chamelæa & oleastellum appellatur: Mauritani, Mezereon, seu Alemeze- rion: Itali, Chamelæa: Germani, Zilandt: Galli, Boys gen- til. Quæ verò Græcè θουμαλαία, Latine pariter Thymelæa vo- catur: Italicè, Timelea.

Inter Chamelæam & Thymelæam Dioscorides differentiam fecit, at Serapio utramque Chamelææ, sic Mesues

fic Mesues Thymelææ, & Arabes Mezerei nomine, expressere. I. Chamælea Diofco. Chamælea latifolia vel alba, Serapionis: Thymelæa foliis magnis & tenuibus, Mesues: Chamælea, Matt. Lac. Cordo in Diofco. Dod. gal. & fol. Gef. hor. Lob. Lon. Cast. Lug. qui duas habet figuras, Chamælea prima, Clus. hist. Hisp. Chamælea altera, Cæsal. Chamælea vera, Cam. Chamælea Arabum tricoccus, Tab. Mezereon Arabum Lob. in icon. II. Thymelæa, Dioscoridi: Chamælea tenuifolia & nigra, Serapioni: Thymelæa foliis parvis, Mesues: Thymelæa, Matth. Dod. gal. & fol. Lac. Lob. Lon. Clus. hist. Hisp. Cæsal. Lug. qui tribus figuris expressit, Cast. Thymelæa vera, Gesn. hort. Thymelæa foliis lini, Cam. Thymelæa grani gnidii Lob. in icon. Thymelæa prima Tab. Chamælea Anguillaræ. III. Cneorum Theophrasti, Matthioli duplex habet in hisce Commentariis, aliud Capite de Cinamomo, de quo supra: aliud hoc in loco à superiore penitus diversum. Hoc Cneorum candidum eidem dicitur in Compendio, cujus figuram assumpsit Lugdunensis, Cneorum aliud Theophrasti, Matthioli nominans. Quod etsi nobis videatur nil aliud esse quam Lychnis vel Ocymoides repens montanum, quod Ocymoides repens Polygonifolia dicitur Lob. & Lugd. cui & Saponaria minor, sic Ocymoidis alterum genus parvum, Cæsalpino, & Ocymoides repens, Camerario, nolimus tamen Matthioli figuram remove, meliorem in historia exhibituri, cum in Apennino legerimus.

ΑΝΤΩ.

SAMBUCUS.

CAP. CLXVIII.

20 **S**ambuci duo genera. Unum in arborem affurgit, furculos spargens arundinaceos, teretes, cavi, can-  
dicantes, proceros: folia juglandis, [terna, quaternave,] ex intervallis circa ramos exeunt, gravia odo-  
re, & minutim in ambitu secta: & in ramulorum cacuminibus, cauliculisq; circinatae umbellae, quae flo-  
rem candidum pariunt: mox acinum terebintho similem, in nigredine subpurpureum, racemosum,  
succo madentem, vinosumq; . Alterum genus chamaeacte vocatur, Romanis ebulum, longe humilius  
est, magisq; herbaceo generi assignandum: caule quadrangulo, geniculato, foliis amygdalae, ex inter-  
vallo longioribus geniculatim expansis, pinnatisq; graveolentibus, in ambitu ferratis: muscario sam-  
buci flore, & acino ejusdem: radice nititur longa, crassitudine digitali. Eadem utriusq; vis, & usus exi-  
cans, alvo detrahens aquam, stomacho inutilis. Folia olerum more coquuntur, ad pituitam, bilemque de-  
trahendam. Caules teneri in patinis cocti, eadem efficiunt. Radix in vino decocta, & in cibis data, hy-  
dropicos adjuvat: prodest viperarum moribus, eodem pota modo: vulvas emollit insidentium, deco-  
cto: patefacit earum spiracula: & vitia corrigit. Acini in vino poti, eodem funguntur munere: denigrant  
capillos illiti. Folia, si praetenera ac mollia ex polenta illinantur, inflammationem mitigant: ambustis,  
& canum moribus illitu profunt: ulcera quae dehiscunt in fistulam, agglutinant: iis, qui podagra ten-  
tantur, cum sevo taurino, aut hircino profunt illita folia.

## I. SAMBUCUS.

## II. SAMBUCUS MONTANA.



*Sambucus, & Ebulus plantæ sunt nullis non cognitæ. Priori ei si unum tantum genus prodatur à Dioscoride, nobis tamen duo ejus observata sunt genera: alterum quidem montanum, & sylvestre: alterum verò urbanum, plerumq; in hortorum, & vinearum sepibus proveniens. Hæc genera fructu inter se differunt: siquidem montano flores bacca non in umbella*

## III. SAMBUCUS AQUATICA.

Sambuci  
vires  
MatthEbuli vi-  
res Mat-  
thiolo.Unguen-  
tum præ-  
stantissi-  
mum ad  
ambusta.

Unguentum præstantissimum ad ignis am-  
bustiones hoc pacto: Sumito viridis Sambuci corticis, qui statim sub primo delitescit libro herbacei coloris libram. Olei plu-  
vies loti ex stillantia florum Sambuci aqua libras duas. Ferveant simul aliquandiu. & deinde percolato, & exprimito. &  
addito cera novæ odorata, succi succulentiorū Sambuci, cuiusq; uncias 4. Rursus ut ferveant finito, quousq; succus evanesat:  
tollito tunc ab igne, & rudicula agitato, omniaq; misceto, & ad finē addito vernicis liquidæ uncias duas. Thurū albi in re-

umbella coherant perinde ac in urbano, nec maturescunt nigricant, sed in racemis uvæ modo dependentes, perpetuo rube-  
scunt, vinosa ac succi plena, virgis foliisq; urbano similis est, sed  
minori longè proceritate adolescit. Nascitur in montosis & al-  
gentibus locis. Vires urbano imbecilliores habet. Illud etiam di-  
scrimen facit, quod urbanum in maiorem proceritatem adole-  
scit, & levior constat materie. Sunt præterea, qui palustrem  
Sambucum ostendant, nempe arbusculam uliginoso & palustri  
solo enascentem, virgis sambuci domestici amulæ, geniculatis,  
alba intus medulla, sed caduca, & fragili materie: folio viri-  
gineo: flore albo sambuci modo, odore non prorsus injucundo:  
a quo bacca prodeunt rubentes, oxycantha magnitudine, vi-  
nosa ac amaro succo referta, quæ devorata vomitiones erant.  
Succo vi est absisteria. Aqua è sambuci floribus fronti & syn-  
cipiti illita, capitis dolores mulcet, qui à calido humore pro-  
venerunt. Succus è radice cortice expressus, vomitum valenti-  
ssimè commovet, & aquam inter cutem pellit. Præstat idem  
è radicibus ebuli extractus succus. Quin & crassam pituitam  
ad articulos decurrentem extrahit. Ebuli semen per diutinas  
aqua lotiones à nigro circumstante succo expurgatum, datur  
utiliter drachma pondere ex chamæpyris decocto, podagricis,  
ischiadici & Gallica lue laborantibus: mulcet enim dejecto-  
ria vniuersæ eorum dolores: cum humores eo fluentes tum re-  
vocet, tum deiciat. Sunt qui ex ebuli radicibus succum elici-  
ant, insolentq; subinde, & in pastillos digerant. Serventq; ad  
usus. Hic clystere infusus tam intestinorum, quam coxendicium  
dolores tollit à frigida aere, & flatu genitos. Supponitur con-  
venienter semina cum locis ad evocandos menses, præsertim  
si lana exceptus intromittatur. Suffiuntur ebuli decocto com-  
mode q; qui diuturna febre vexati ad malum devenerunt ha-  
bitum, si tamen ventriculus, & jecur interea roborentur odo-  
ratu adstringentibus, & ad id conferentibus medicamentis.  
Paratur è Sambuco unguentum præstantissimum ad ignis am-

## \* IV. SAMB. AQUAT. POLYANTHOS. \*

## V. EBULUS.



nuem

nuem pollinem contriti uncias quatuor: quinetiam duorum ovorum album, diu prius cochleari agitatum. Subinde misceito diligenter omnia, & mundo vase asservato. Fungi qui ad imam Sambuci caudicis sedem oriuntur, in aqua rosacea prius macerati, capitis dolores, & inflammationes mulcent. Stillas ita cum ebuli, tum sambuci radicum aqua, hydropem Ad hydropem. tympanite laborantes mirifice juvat. si huius quaternas uncias, illius vero binas, utriusque simul misis hauriant affecti diebus triginta continuis. Illius ebuli radicem succus procidentem sedem reprimat, & anginam tollit, ubi circa gulam calidum cum linteolis illinatur. Exusta Sambuci folia, & in pulverem trita, emanantem e naribus sanguinem sistunt. Baccarum sambuci succus a rocremento repurgatus & cum melle optimo coctus ad Julapii spissitudinem, aurium dolores tollit, si calidus imponatur. Sambuci tenerissima folia, quae primo statim germinatu prodeunt, una cum pari pondere radicum plantaginis suillae, axungiae veteris contrita, subacta, podagricos dolores praesentaneo auxilio mulcent. Meminit Sambuci utriusque vites ex Galeno. 10 buci utriusque, Galenus libro 6. simplicium medicamentorum, sic inquit: Utraque, Sambucum tum magna illa, & arbore-scens, tum herbacea, quam & ebameadem vocant, desiccandi, conglutinandi, modiceque digerendi facultatem obtinent. Hac Galenus. Ceterum facit Sambuci, Ebuli, facultas, quae ad cutem subeuntes aquas pellendas non parva est, ut hic Frangula quoque, arboris, in qua eadem vis non infima reperitur, historiam & facultatem describam. FRANGULA

## VI. FRANGULA.



igitur ita vocata, quod facile frangatur, arbor est mediocri proceritate, folio fere corni aut virge sanguinea. cortice Alni, exterius albis maculis resperso: interius vero adeo flavescente, ut si mandatur, croceo colore inficiat Rhabarbari modo. Flores edit albos, fructum parvum, nisi magnitudine, per medium divisum, adeo ut duabus simul baccis constare videatur, quodam natura artificio simul conjunctis. Fructus primo exortu viret, deinde rufescit, postremo vero nigricat. Is duo inter se concludit oscula, lupinorum fere figura, sed lentibus paulo grandiora, in quibus nucleus habetur. Ligni materies omnino fragilis imbecillaque est: unde illi nomen. Nascentur passim in Bohemia sylvis & nemoribus. Cortici vis inest non modica, cum exolvens, tum etiam adstringens. Ideoque Rhabarbari modo alvum deiecit, & viscera roborat. Idem bilem, & pituitam expurgat, quinetiam hydropicorum aquas ducit. Decoquitur cortex cum Eupatorio communi, Pontico Absinthio, Agrimonia, Cuscuta, Lupulo, Cinnamonomo, Foeniculi, Apii & utriusque Intubri radicibus, ad hydropem, malum corporis habitum, & Ictericam: daturque potandus ita affectu quinq. unciarum pondere, magno sane auxilio. Atqui operapretium est, ut prius excrementum humores, qui in ventriculo, & primo Jecinoris venis decumbunt, expurgati fuerint. Solvit enim alvum sine ullo incommodo, belle jecur expurgans ac roborans, adeo ut quidam, qui scyrrhoso jecoris, & lienis affectu laborant, hoc medicamento curati sint. Aperit enim omnium viscerum obstructions, & vasa omnia a crassorum excrementorum infarctu expedit. Extimo cortici facultas est adstringens: intimo autem exolvens. Uterque simul ab arbore delibrari debet: in ipso statim Veru principio, ac deinde in umbra stecari. Siquidem viridis nullus debet esse visus, quod vomitiones moveat. Decoctum,

quod hinc paratur, quiescat prius oportet anteaquam propinetur, duobus aut tribus diebus quousque flavus color in nigrum vertatur, alias vomitiones movere quandoque solet. Idem porro ubi alvum non exoluerit, appetitum provocat, ob eam quam possidet adstringendi facultatem. Arbor hac hactenus mihi ignota fuit, nunc vero primum nota, opera ac diligentia clarissimi Doctoris Johannis Villevrochi Dantiscani, Serenissimi Principis Ferdinandi Archiducis Austriæ, Medici, qui cum sit rei plantaria studiosus, pratermittere noluit, quin etiam suo auxilio opus hoc nostrum ornaretur. Planta qua antea 50 Græci, Sambucus Latini appellatur: Arabibus Jafacti: Itali Sambuco: Germanis Holder oder Heller: Hispanis Sambugo & Camnero: Gallis Suseau & Suzer. Sambucus montana: Græc. ἀνθόγειο: Itali Sambuco montano. At Sambucus aquatica, Itali Sambuco aquatico: Germanis Schwelcken. Sic Frangula, Itali Frangola. Quae vero χαμαίνης Græcè, Ebulus Latine dicitur: Arabicè Kame alhis: Itali Ebulo seu Nebbio: Germanice Atuch und Niderholder: Hispanice Hierguos & Sabugo pequenno: Gallice Hyeble.

Sambucus, quod à Sambuca instrumento musico dictum putant, est domestica, quæ foliis est vel non laciniatis, & quidem fructu vel nigro, vel albo: vel laciniatis: altera montana racemosa, tertia aquatica flore simplici, vel pleno: hocque colore vel albo, vel purpureo: quarta minor seu hamilis, quæ Ebulus. I. Sambucus, Matth. Brunf. Fuch. Turn. Dod. gal. & fol. Cord. in Diosc. Anguil. Lac. Ges. hor. Lob. Lon. Cæsal. Lug. Taber. Sambucus vulgaris, Trag. Thal. Sambucus domestica, Cast. Sambucus five Sabucus Campestris, Cam. II. Sambucus montana, Matth. du Choul. in Pilati Lugd. descriptione, Ges. hor. Cast. 60 Cam. Sambucus montana racemosa, Lob. Sambucus sylvestris, Trag. Lon. (quamvis & sub Acere posuerit) Lug. Sambuci genus aliud minus, Cord. in Diosc. Sambuci alterum genus, Cæsal. Sambucus tertia, Turn. Sambucus quarta, Dod. fol. Sambucus cervina, Tab. Sambucus montana seu *εμβύλιος* aut *φραγγύλα* nos *αφύλος*, Thal. III. Sambucus aquatica, Matth. Trag. Adv. Lob. in icon. Lug. (cui & Traupalus Teophrasti) Tab. Thal. Sambucus sylv. & cervinus, Dod. gal. Sambucus palustris, vel aquatica sylvestris, Ges. hor. Sambucus palustris, Dod. fol. Lon. Cæsal. Sambucus palustris femina, Cam. Lycostaphylon foemina, Cord. in sua hist. IV. Sambucus aquatica Polyanthos: Hæc à præcedenti solum flore differt, qui cultu & crebro saru densissimus fit, ita ut flos alb. sphaeræ instar rotundus & glomeratus sit cujus nomine nostrates (in quorum hortis frequens, in Galliis & Italiis non visa) pilas niveas vocitant. Dicitur Lycostaphylus

Eeee

mascula,

Nomina.

mascula, Cord. in hist. Sambucus palustris, vel aquatica hortensis, Ges. hor. Sambucus aquatica Lugd. Sambucus aquatica polyanthos, Tab. Sambucus palustris secunda, Dod. fol. Sambucus palustris mas, Cam. V. Ebulus, Matt. Bruf. Trag. Fuch. Tur. Dod. gal. & fol. Ang. Cord. in Diof. (cui & parva Sambucus) Lac. Lob. Lon. (cui & Sambuci alteri genus.) Lug. Cast. Tab. Cæs. VI. Alnus nigra baccifera, C.B. Frangula, Matth. Dod. fol. Lug. Tab. Avornus, Crescentio: Gaulbaum Trag. Arbor foetida, Lon. Alnus nigra quibusdam, Dod. gal. Alnus nigra, Lob. Thal. Cam. cui & Siler Plinii. Alnus nigra baccifera, Lugdunensi.

ΠΥΚΝΟΚΟΜΟΝ.

## PYCNOCOMUM.

CAP. CLXIX.

† Orib. peris. i. porri.

**P**ycnocomon constat eruce foliis, acrioribus, scabris, & crassis: caule quadrangulo: flore ocimi, semine † marrubii: radice nigra, aut pallida, rotunda exigui mali figura, terram redolente, invenitur in saxosis locis. Semen gravia somnia, & tumultuosa facit, drachmæ instar potum: tumores discutit, illitum cum polenta: & spicula, ad aëtosq; corpori aculeos extrahit. Folia illitu tuberculo, panosq; discutiunt. Radix ejus in aqua multa duum drachmarum pondere, alvum solvit, & bilem extrahit.

Pycnocomi confid.

Nomina.

**N**ullam equidem usquam plantam hactenus sum consecutus, qua facie Pycnocomo responderet. Quare & hoc mihi, ut ingenue fatear, referendum est inter alias herbas, quas hodie omnibus incompetas esse arbitror. Ita enim fiet, ut & posteris, quos spero futuros rei herbaria diligentiores inquisitores, suum relinquatur scribendi locus. Nec sane quinquam pigere debet, cum ex his, quæ nobis vel incognita, vel incerta sunt, aliquid invenerit, & compertum habuerit, ad communem utilitatem, in medium proferre. Eam ut Græci πύκνoκoμoν, ita Latini Pycnocomum vocant.

Απίος.

## APIOS.

CAP. CLXX.

Conclusa non legit Orib.

a Cat. addit. &amp; yep. i. tyli. b Cat. nō legit.

**A**pios ramulos duos sive tres junctos spargit, [rubros,] tenues, qui à terra [parum] attolluntur: foliis a rutæ, oblongioribus tamen, [et angustioribus,] herbaceis, semine parvo: radice hastulæ regię in formam pyri turbinata, rotundiore tamen, succi fecunda, intus habet corpus candidum, extra cortices nigros. Superior pars ejus vomitione bilem, pituitasq; extrahit: inferior per alvum: tota utrinq; purgationes movet. Succum si liber eximere, tusa radix in fistili mergitur, & agitata aqua, quod supernatat penna selectum exiccatur. Purgat utraque parte is succus, sesquibolo potus.

## I. APIOS.

## II. PSEUDOAPIOS.



Apii sive Ischadis confid.

**A**pios quæ & Ischas appellatur, nascitur in Creta (quamquam non desunt, qui velint eam quoq; provenire in Italia, præsertim in Apulia) foliis exiguis, rutæ, vel hyperico proximis, primo statim vere ab radice erumpentibus, nigrioribus tamen, alba quadam linea in longitudinem percurrente, cauliculis junceis subrubentibus, lacteo succo madentibus radice exterius nigra, interius candida, pyri effigie, unde & nomen, ænios enim Græci nil aliud significat, quàm Latinis pyrum.

Ischadis descriptio ex Matth.

**I**schas sive Apios folio constat rutaceo, brevi, caulibus ternis, aut quaternis, humi prostratis, radice, quæ affodulus, verum squamosa. Nascitur in montibus. Legitur vere. Datur ad expurgandum corpus, quod altera radice parte superius, altera inferius purget: hac ex Theophrasto. Apion legitimam, quam primum me vidisse recorder, ad me misit Venerius Nicolaus à Sancto Michaele Novocomensi, medicus singulari ingenii atq; eruditionis, & rei herbaria peritus. Caterum scribit Ruellius Apion frequentissimam in Gallia nasci ejusq; radice ruri pauperes per inopiam frugum vesci. Sed Ruellii sententia non esse subscribendum judico: Nam cum Apios per superna, & inferna purgationem molatur, malè nimirum eos haberet, qui nulla hujus facultatis habita ratione, copiose (ut rustici facere solent) ejus radices sumerent in cibis. Falluntur quoq; in Apio censendo Fuchsius, Tragus & Lonicerus, quippe qui putent plantam, quam nos Pseudoapios vocamus, legitimum esse Apios. Siquidem hac multiplici crescit caule, cubitali & quandoq; majori, humi procumbente, viciæ fere modo foliis oblongis, & subsæperis. Floret Junio præsertim mense, floribus puniceo colore micantibus, pisi amulis, odoratis, racematim coherentibus: quibus flaccescentibus siliquula oriuntur, in quibus semen concluditur. Radices habet fici, aut pyri figura ternas, aut quaternas, è staminibus dependentes, Filipendula nigra exterius cute & alba intus pulpa: nulla purgatoria vi prædita. Hac passim nascitur ferè ubiq; in Bohemia in campis, & præsertim in vineis. Sed quantum, hac

Ruell. lapsus.

Fuchsi Tragi &amp; Loniceri opin. explosa. Pseudoapii delinatio.



30

40

50

hac diflet à Dioſc. planta Apios appellata. ij. judicent, qui de plantaria facultate dicere & ratiocinari poſſunt. Apii huius nuſquam, quod invenerim, mentionem fecit Galenus in ſimplicium medicamentorum cenſu. Hæc planta non ſecus Latiniſ & Italis Apios, atq; Grecis & αἰός nominatur. At Pſeudoapios: Italis Apio falſo: Germani Erdnüß.

Nomina.

I Tithymalos tuberoſa radice, C. B. Iſchias Theophrasti, Caricam Gaza vertit. Apios, Matth. Dod. gal. Lac. Anguil. Lob. Caſt. Lugd. Taber. Apios vera, Lob. in icon. Tithymalus tuberoſus, Dod. fol. Lugd. qui & Matthioli & Dodonæi figuram exhibet. II. Pſeudoapios, Matth. Apios, Trag. Fuch. Apios Fuchſii, Lugd. Cam. Chamæbalanus, Dod. gal. Taber. Aſtragalus, Turn. quo nomine & Matthio-  
lum exhibuiſſe, in prima editione aliqui autumant, cujus figuram ſuo loco repoſuimus. Aſtragalus ar-  
venſis, Thal. Terræ glandes, Lob. Dod. fol. Glandes terreſtres, Cluſ. hiſt. Pann. Ornithogalum purpu-  
reum, Cordo in Dioſcor. Panis porcinus, Lonicero.

Κολοκύνθις.

COLOCYNTHIS.

CAP. CLXXI.

Colocynthis ſarmenta, foliaq; ſativi cucumeris emittit, per terram repentia, diviſa: fructum in ſpe-  
ciem mediocriſ pilæ conglomeratum, vehementer amarum: quem legere oportet, cum cœperit in  
pallidum colorem permutari. Medulla fructus purgatoriam vini. haber, ſi quatuor oboli cum aqua mul-  
ſa, melle cocto, myrrha, & nitro excipiantur, & cogantur in catapotium. A reſectæ pilæ teruntur, & in-  
fuſæ clyſteribus profunt nervorum reſolutioni, coxendicum doloribus, & coli vitiiſ, ut quæ bilem, pi-  
tuitam, & ſtrigmenta, interdum etiam cruorem eliciant: foetus adinotæ enecant. Dentium dolorem  
tollit, ſi una repurgetur, & luto oblita cum aceto & nitro inſerveſcat, hocque jure decocti dentes collu-  
antur. Si aqua mulſa, aut paſſum in eadem incoquatur, & ſub dio refrigerſcat, potu craſſum humorem,  
& ſtrigmenta alvi detrahet: ſtomacho ſupra modum adverſatur: ſubdita ex ea balano alvi excrementa  
ejiciuntur. Virentis ſucco utiliſſimè iſchiadici perfricantur.

COLOCYNTHIS.

Colocynthis planta eſt tam medicis, quàm ſeplariis Colocyn-  
vulgaris notita. Verùm eſi (ut Meſueſ eſt author) præ-  
ſantiſſimum ex ejus fructu parietur medicamentum ad va-  
ria morborum genera, ea tamen cordi, jecinori, & ventricu-  
lo maximè adverſatur: quin & univerſum perturbat corpus,  
faſtidium, & inteſtinorum tormina excitans. Abradit enim  
inteſtina, & vaſorum oſcula aperit, adeo ut etiam cruenta  
ſepe eliciat. Hinc merito ſit, ut eam dari prohibeant, niſi pri-  
us maleſica ejus viſ proſus aboleatur, iſ additiſ antidotiſ,  
quæ ad id præſtant: cujuſmodi ſunt illa, quæ ventriculum,  
jecur, & cor tui roborare tum tueri poſſunt, & quæ lentore  
ſuo glutinandi vim habent. Colocynthis trahit pituitoſa, Colocyn-  
craſſa, lentaq; corporis excrementa in remotioribus partibus vires.  
deleſcentia: proinde cerebrum, & nervos expurgat, nec  
non etiam muſculos, thoracem, & pulmonem. Eam ob cau-  
ſam vertiginofiſ, comitialiſ, reſolutiſ, convulſiſ, hemiera-  
nia, diurnoq; capitiſ dolore affectiſ, aſthmaticiſ, & agry-  
ſpirantibuſ utiliſ in catapotiuſ exhibetur. Collachryman-  
teſ adjuvat oculos, & diurna tuſſi laboranteſ. Eſt præterea  
viſ ejus efficaſ ad omneſ frigidoſ articuloſum doloreſ, præſer-  
tim podagriciſ, & iſchiadiciſ: ad quæ non modò in catapo-  
tiſ devoratur, ſed etiam clyſteribuſ inſunditur: quibuſ ſanè  
nil præſtantiuſ eſt ad coli cruciatuſ ex ſlatu & frigidityte pro-  
gnatoſ. Pellit aquaſ tam bibita, quàm per ſedem inſuſa. Fit  
e Colocynthidiſ fructu oleum, ad retardandam canitiem, de-  
nigrandòſ capilloſ, & eorum deſtrevium cohibendum, ſi ex-  
empra e fructu pulpa, cavitat oleo repleatur, & in cineribuſ  
decoquatur. Eodem mulcentur aurium doloreſ, & earum  
incerti ſonituſ diſcutiuntur: quinetiam oleo ipſo & felle bu-  
bulo interaneorum vermes necantur, ſi ſimul miſceantur, &  
calida umbilico illinantur. Colocynthidiſ vires retulit Gale-  
nuſ lib. 6. ſimplicium medicamentorum hiſ verbuſ: Colocynthis  
vires ex Gal.



gultu amara eſt, ſed quæ amariſſimo medicamento epoto adſunt opera, ea evidenter effecere nequit, ob purgatoriæ ſacul-  
tatem, quàm validam in ſe continet, nimirum cum iſ, quæ expurgat, antè & ipſa per alvum excerni prævertens. Viridiſ  
ipſuſ ſuccuſ intrit a iſchiadibuſ prodeſt. Κολοκύνθις ſic Greciſ, Latiniſ item Colocynthis, & cucurbita ſylveſtriſ appellatur, Nomina.  
Arabibuſ Chandel, Handel ſeu Handal: Italiſ & Hiſpaniſ Coloquintida: Germaniſ Coloquint und Wilder Kürbiſ;  
Galliſ Coloquinte & courle ſauvage.

Colocynthidiſ varia habentur genera, alia minor fungoſa & leviſ quæ officinarum eſt: alia minor ob-  
longa, vel ſlava, vel candida: alia rotunda varia: alia ſeſſiliſ nigra maculata, magna inſtar Cucurbitæ: &  
alia minor: alia deniq; turbinata, ſeu pyriſformiſ. Hic pingitur Colocynthis fructu rotundo major: quæ  
Colocynthis, Matth. Fuch. Cord. in Dioſc. (cui & Cucurbita deſerti) Lac. Geſ. hor. Dod. fol. Lob. (cui &  
Cucurbita amara Catharctica in iconibuſ) Lon. Lugd. (cui & Arabum plantarum moſ) Caſtor. Cam.  
Colocynthis vera, Trag. Colocynthis prima, Dod. gal. Colocynthis maſ, Taber. Coloquintida, Turn.  
Anguil. Cucurbita agreſtiſ, Brunf. Cucurbita ſylveſtriſ fructu rotundo, Cæſalpino.

E e e 2

Επίθυμα.